

268



INDEX

disputationum hoc volumine comprehensarum.

- ~~De act. controversiarum in iudic. p[ro]p[ri]e Francicell[arum]~~
- De concursu et graduatone creditorum.
- De iure retractus.
- De legibus incendiarum.
- De incendio casuali.
- De ~~moneta~~ ^{causis} iure, seu mutatione ^{causis}.
- De ~~fructibus~~ ^{causis}.
- De collationibus bellicis.
- De pravis et irrationabilibus consuetudinibus.
- De pecunia pupillari, ejusque administratione.
- De benedictione sacerdotali in matrimonio.
- De literis amatoris.
- De errore conscientie.
- De titulo invalido.
- De scriptura potestate ut usu in negotiis civilibus.
- De relocatione et reconductione tenite.
- De contractu societatis.
- De licitatione.
- De tessaris calypticis.
- De communione bonorum inter conjuges.
- De unione prolium.
- De iuribus et privilegiis viduarum.
- De iure retractationis et emigrationis.
- De iure ludendi.
- De dispensationibus.
- De reversione injure. verbal.
- De eo quod interdit.
- De iure successionis creditorum in bonis anteriorum.
- De jurisdictione forestali.

+



DEO

ET. MAGNIF. FACTORUM. ORDINE.
ANNUENTIBUS.

SUB. PRÆSIDIO.

BURCHARDI. HENRICI.
TILEMANNI. D. ET. ADVOCATI.
EXCELLENTISSIMI. PATRONI. AC.
PRÆCEPTORIS. MEI. PROLIXO. OBSER-
VANTIÆ. CULTU. JUGITER. SUSPI-
CIENDI.

DE

CONTRACTU
SOCIDÆ.

QUO. VULGO.

Eiserne Schaaf oder Rûhe
CONSTITUI. DICUNTUR.

IN. PERILLUSTRI. ATQUE. FLO-
RENTISSIMA. PROPTER. SALAM.
ACADEMIA.

V. NON. OCTOBR. H.L.Q. CONSVETIS.
PUBLICE. DISPUTABO.

BERNHARDUS JACOBUS Wiese/
AUTOR ET RESP.

JENÆ, Typis NISIANIS, A. S. R. clō lōc LXXIII



MAGNIFICO
Illustris Hamburgensium Reipublicæ
CONSULI
DN. JOHANNI *Schultzen*/
Jcto edecumatisimo
NOBILISSIMO
Ejusdem Reipublicæ Advocato & Ora-
tori primicerio
DN. BENJAMINI WISEO,

Dominis Patronis, Affini, Patruo Jugi
devotionis cultu obsequiosè colendis

Leviculum hoc studiorum Acade-
micorum documentum

observantissimè offert

BERNHARDUS JACOBUS WISEUS,
Not. Publ. Cæs.

AUTOR.



DISSERTATIONIS
DE
JURE SOCIDÆ,
Præloquium.

HGregium est illud Justiniani *in l. unic. C. de dedit. libert. tollenda.* Nos, inquit, qui veritatem colimus, ea tantummodo volumus in LL. nostris obtinere, quæ re ipsâ obtinent. Quomodo non tam subiles & supervacuas observationes, (quales uti habetur *in l. 4. §. 6. C. de Recep. Arbitr.* jam diu ab Aulis recessere) quam inutiles otiosorum disputationes & quæstiones, (quarum Catalogum benè longum refert *Hering. tract. de fidejus. cap. 10. n. 102. cum tribus seqq. & novissime Dn. Finckelth. in obs. Pract. præf. ad lectorem n. 12.*) è Juris prudentia nostra exclusas & tantum non eliminandas voluit; quod videlicet iis plerumque sese ho-

mines prodant, eorumque protrahant in lucem vel simplicitatem vel curiositatem vel latentem animi morbum. Nos igitur, quos veritatem & legum & justitiæ sequi vestigia oportet *arg. l. 13. C. de sentent. & interloc. omn. jud.* omnia ex doctrina D. Justiniani, nostraque utilitate, quam utique magnam futuram, adeoque vel publicæ (si qua fortasse modica ex præstigiis illis versuti juris, *uti verba sonant in l. 28. in fin. C. ad l. Juliam de Adult. exurgere potest*) præferendam credimus per *l. 1. §. sunt qui putent. 6. in vers. plerumque enim utilitas svadet. π. ne quid in flum. publ. gloss. & Canonistæ in capit. bonæ memoriæ de post. prelator. metientes*, nostrisque non tam studiis quam temporariis, quod in omni actione observatu pulcherrimum est per *Nov. Leon. 109. consulturi*, Disputationem hanc Theoretico Practicam (quale studium optimè & necessario conjungitur, ut *habet Reinking de reg. secul. & Eccles. lib. 2. Class. 2. cap. 11. n. 70.*) Sepositis aliis juris controversi materiis, pro ratione temporis & ingenii Speciminis Academici loco publicæ eruditorum censuræ subjecimus. Tu vero, candide lector, si quid rudi Minerva propositum reperis, veniam largire, & imbecillitati humanæ, quippe quæ naturaliter inest, juxta

juxta monitum Sacratissimi Imperatoris *in l. 2. S. 14. C. de vet. jur. enucl.* adscribe. Priusquam autem ad rem ipsam nos accingamus, ductu Justiniano laudatissimo jam *alleg. l. 2. in pr.* ad Divinæ immortalitatis præsidium respicimus, & Summo Numine invocato, Deum auctorem nostrique exercitii Præsulem fieri optamus, ex hoc enim sequitur bonum principium melius medium & finis tandem Deo acceptabilis. Benè enim universa tunc geruntur si Principium rei fiat decens & amabile Deo. *Nov. 6. in pr.* Sit itaque

MEMBRI PRIMI

An res sit

SECTIO I.

Sitne conventio seu contractus

Societate nec ne?

ET quidem, ut hinc ordiamur eorum quæ in quæstionem venire solent, Cic. Quint. & Hermog. tria fecerunt genera *An res sit: Quid sit; & Qualis sit?* Horum primum *in conjectura*, alterum *in defini-*

A 3

tione

tione & tertium in ratione & partium distributione positum est. An autem res sit, primo semper loco est cognoscendum; quia inutilis est labor qui in re, quæ non est in rerum natura, consumitur. Quapropter & nos de conventionem Socidæ acturi, ante omnia primam quæstionem tractabimus. At hujus quæstionis *authore Cic. in Topicis* quatuor sunt partes: una cum quæritur, *anne sit aliquid*: altera unde ortum sit: tertia quæ id causa effecerit: & quarta in qua de mutatione rei quæritur. In his enim quatuor partibus conjecturæ ratio consistit *sec. Cic. d. l.* Hinc ad primam conjecturæ partem quod attinet, non malè illa quæstio movetur, sitne conventio seu contractus Socidæ? hoc est, an hæc conventio jure defendi & sustineri possit, si sc. ita pecora in Socidam dentur, ut casus & damna animalium in pastorem transferantur, qua conventionem pecora ferrea effici & appellari solent *Eiserne Kühe oder Schaafse* quod dominium

nium nunquam pereat, aut intereat quemad-
modum in istis partibus reditus quidam chaly-
bei, ut sic stahlene Gulde vocitantur? Qui-
dam simpliciter & indistinctè negant. sic enim
Mornatius *ad l. 8. C. de pactis* refert, Jacobum
Choartium splendidissimum in supremo Sena-
tu Patronum perpetuò sensisse, contractus e-
jusmodi esse usurarios. Sic è Casistis Genesius
Minucius Florentinus à Rada, Ordinis Vallis
umbrosæ, in compendio summæ Cardinalis
Toletani de septimo præcepto *cap. 41. in fin.* illi-
citam & usurariã proclamat Societatem hanc,
nisi inter cætera requisita, periculum etiam do-
mino relinquatur. *Hæc Societas, inquit, tum demum
licita est, cum tria hæc servantur. (1) quod portio reser-
vata sit justa: debet etiam ratio haberi laborum, indu-
stria & expensarum, illorum, qui ea curant (2) quod
animalia pereuntia domino pereant, non curatoribus
(3) ut cum absque negotiatorum culpa ex animalibus
lucrum non percipitur, tunc liberi sint socii à lucro do-
mino reddendo. hætenus ille.* Eadem severitate de-
tonat die Fürstl. Bierfenb. L. D. von Wu-
cherlichen Contract. p. 119. §. it. einen ibi oder
wo das Kalb stirbt/ daß der Arme dasselbe
bezahlen/oder mit einem andern guten Rin-
de erstatten müsse. *Besold. Diss. pecul. ad laud.
Ordinis.*

Ordin. p. 8. th. 24. Et ut hæc opinio plausibilior
appareat, sequentes à nonnullis adducuntur
rationes (1) quod contra LL. Societatis sit, quæ
quodammodo jus fraternitatis continet, ut lu-
crum quidem, non vero damnum sit commu-
ne, vel, ut alter lucrum tantum, alter damnum
sentiatur, qualis Societas Leonina dicitur *l. non si
fuerint in pr. & ibi gloss. & Dd. l. cum duobus 52. S.
quidam in fin. l. 63. in pr. pro Soc. Azo in summul. C.
eod. n. 9.* (2) Licitam quidem pactionem esse, ut
non sentiatur damnum is, qui solam operam con-
fert, illicitam vero & usurariam, ut capitale ma-
neat saluum ei, qui erogavit, & periculum ejus
ad recipientem tantum pertineat, tam in pecu-
nia, *capit. plerique & ibi Gloss. in verb. negotiatori-
bus 14. q. 3. Didac. Covarruv. lib. 3. var. resolut.
cap. 2. n. 3. cum seqq. Gail. lib. 2. obser. 24. n. 5. qui
opinionem istam tanquam veriore & benigniore
Camer. Imp. quandoque in Socio industrius solam operam
prestante secutam esse, testatur, quam in Socida vel
animalium Societate. Dd. ad l. si pascend. 8. C.
de pact.* Hinc Chassan. usurarium pronunciat esse
pactum, quod multos in patria sua ad inferos
abduxerit, si quis ita pro certa pensione pecora
in Socidam det, ut nunquam sibi moriantur, *in
consuet. Burg. §. 23. n. 4. & Lelius Zech* injustum
esse,

esse, ait, pacisci, ut ante omnia & priusquam
pastor aliquid ex pecudum fructu percipiat, ca-
pita mortua ex foetibus suppleantur, cum hac
ratione immortales tradantur quam appellat
Socidam ad caput saluum à Sixto V. Pontifice
in Xvaganti quadam reprobata, *in tract. de
usur. cap. 7. n. 8. vers. 5. si detur.* Verum alii Dd.
distinctè & cum apparatu respondent, diversas
circa hanc rem pecuariam conventiones di-
stinguendo, ut videre est *ap. nuper alleg. Læli. Zech.*
Socidam enim multis modis inire tradunt (1)
per modum locationis & conductionis (2) per
modum mutui (3) per modum custodiae, (4)
per modum Societatis. Sed omisis his distin-
ctionibus & modis de quibus etiam alias prin-
cipaliter hic non agimus, generaliter statue-
mus, pactum de periculo & casibus fortuitis
præstandis, per se non esse usurarium, *arg. l. 23. in
fin. de R. J. l. 6. C. de pign. act.* Nisi ex accedenti &
ob inæqualitatem hostimenti mercedis aut re-
munerationis tale efficiatur, *conf. l. 6. §. 29. §. 1.
pro Socio. Covarruv. lib. 3. variar. resol. cap. 2. num. 3.*
Ex quibus nunc sequitur errare Dn. Rauchbar.
dum *in part. 19. 29.* vereri se scribit, ne hæc con-
ventio jure defendi & sustineri possit nisi ut lo-
catio & conductio sit, Quæ autem hæctenus

B

dixi-

diximus, ad generale pactum, quo pastor omne periculum in se recipit, plurimam partem respiciunt: Sed quia Dd. communiter periculum & damnum aliud faciunt naturale, aliud casuale, ut habet etiam P. de Ubald. in tr. de duob. fratribus part. 8.9.19. & Bl. in l. 1. C. pro Soc. Evenit aliquando, ut pastores in se periculum animalium recipientes casus naturales seu periculum mortalitatis, quod alias sub periculi generali receptione etiam comprehenderetur, l. 37. §. 1. de neg. gest. l. 36. locat. excipiant, cujusmodi facti speciem proponit & examinat Grivellus in Decis. Dolan. Dec. 38. Narrat enim viduam quandam mulierem & rusticam recepisse in Socidam seu commendam, pro 3. annis, duas vaccas, ad mediam lucri & damni partem, sub capitali (seu aestimatione) 30. Francorum pacto adhibito, (quod in Burgundia passim frequentetur) ut recipiens teneretur, custodire, nutrire & pascere praedictas vaccas, ritè & congruè, easque conservare & custodire ab omni periculo & fortuna, excepta morte naturali: verba conventionis Gallicè sic sonant: *à charge, de garder, nourrir & entretenir les diètes vaches bien set deurement, & les garder & garentir de tout, gerit & fortune, sauf de mort naturelle.*

Con-

Conventione sic inita, contigit ut duos post annos & aliquot menses bello exorto & læviente in Comitatu Burgundiæ An. 1595. vacæillæ latrocinio perierint : vocata itaque fuit in jus vidua, ut capitale illud, (nempe 30. Francorum) restitueret. Illa vero productis testibus probavit sufficienter, animalia illa fortuito belli casu, cui resisti non potuit, periisse, sine ullâ suâ culpâ & negligentia; Quæsitum fuit an teneretur? Grivellus arbitratur, in his terminis periculum commune esse debere, adeoque mulierem 15. Francos duntaxat reddere teneri per regulam l. 52. §. 3. pro Soc. qua constitutum sit quod omne periculum & damnum contingens occasione Societatis sine culpa Socii debeat communiter dividi. Sed ut interim de sententia & allegatione *dicti* §. 3. nihil dicamus utique advertentibus fatendum erit, regulam istam hunc casum qui expressum pactum continet, quo pastor periculum quodcunque extra mortem acciderit, in se recepit, nequaquam continere; unde sequitur decisionem Grivelli, tam fragili fundamento innixam, non esse recipiendam, utcunque authoritate *Joseph. Ludovici* l. Decis. 5. *Perusin.* 12. & *P. de Ubald.* tr. de duobus fratribus part. 59. 24. & part. 8. 9. 10. & 19. niti

B 2

per-

perhibeatur ; cum pacta dant legem contra-
ctui & si per se iniqua non sint strictissime &
ad amissim servanda veniant ne gratis adjecta
videantur. *Covarr. 3. resolut. cap. 2. n. 2. Moz. de
Soc. in tit. de natur. Soc. n. 11.* Quam in rem etiam
paulò ante & rationes, & textus adduximus.
Sed replicat *Grivellus d. l. n. 13. & 24.* pactum
istud quo cavetur, quod capitale sit salvum &
quod damnū in eo contingens casu fortuito sit
periculo solius rustici, esse illicitum, *per tradita
Chasfan. in consuetud. Burgund. tit. des dreictz & ap-
pertenances à gens &c. §. 23. Glossa 1. n. 66. Navar-
ræi & aliorum Casistarum.* Siquidem hoc pactum
pugnet cum LL. Societatis quæ id non patian-
tur, ut quis commodum aut lucrum percipiat,
damnum autem penitus nullum sentiat *l. 52. §.
4. pro Soc.* nisi cum pacto isto interveniat con-
tractus assecurationis juxta formam traditam
à *Navarr. lib. 5. Consil. de usuris cons. 8. & in enchirid.
cap. 17. n. 154.* In hoc autem pacto assecuratio-
nem adjectam non fuisse. Sed majorem Gri-
velli propositionem non esse absolutè veram,
omnibus qui penitus rem examinant, patescit,
& perspicuè ostendit *§. 2. inst. de Soc. vers. &
adeò, ibi posse convenire, ut quis lucri partem ferat, de
damno non teneatur. Huc facit l. 29. §. 1. pro Soc. vid.*

Rauch-

Rauchb. part. 19. 29. n. 45. 46. 47. Cum enim, ut alias, ita his quoque pactis alterari & vitari possit contractus etiam extra naturam suam, *arg. l. 24. § l. 26. depos.* Et certè si pactum hoc per se & toto suo genere esset usurarium utique nec affecurationis pacto posset validari: cum ne juramentum quidem possit esse iniquitatis vinculum, nec confirmatio sanare vitium intrinsicæ pravitatis. *Vid. Tabor. in Comm. ad l. 8. C. de pact. cap. 6. n. 6. circa fin.* Ergo hæc conventio per se & toto suo genere usuraria dicenda non est, sed tùm demum si pensio ista justam exsuperet rationem: semper enim supremam exceptionem salvâ justitiæ & æquitatis regulâ, subaudiendam esse, statuimus. Absit verò à nobis ejusmodi suspicio, ut defensione istius negotii ullatenus cupiditatibus usurariis patrocinium præstare putemur: Illas enim alias toto suo genere damnatas optimè scimus ex *Reform. Polit. Francfurt. de An. 1577. tit. 10. §. Desselben § s. hierauff.* Siquidem id tantummodo ostendere volumus periculi susceptionem per se & generaliter sumptam, iniquitatem istam non parere.

SECTIO II.

Unde ortum traxerit hæc conventio & quæ causa illam effecerit ?

Altera conjecturæ pars est de origine conventionis Socidæ nostræ. Nisi enim de hac nobis constet, de quæstione an sit, constare plene non potest: quia ignoratâ rei origine an res illa sit, plene non intelligitur. De origine autem hujus contractus variæ sunt variorum opiniones: Alii adscribunt originem Gallis quod etiam probare videtur Mornacius *ad l. 8. C. de pactis* qui *ad l. 52. §. 1. pro Socio* fusius id declarat hisce verbis: Dicimus idiotismo vulgari, cheptels de moutons & brebis, qui se baillent en Tourraine, Berry & ailleurs, à laboureurs, mestayers, & autres villageois, qui les nourrissent & y prennent pare, avec les propriétaires de troupean. Alii adscribunt Italis hoc negotium in qua opinione est *Petrus Dominicus de Musis Nobilis Placentinus in formulari instrumentorum, verbo Socida. Lelius Zechus in tract. de usuris cap. 7. n. 7. ibi: sed etiam in animalibus quod Italicè Socida dicitur Societas iniri poterit.*

Alii

Alii iterum novum quasi genus locationis Germanis tribuunt quos inter est *Antonius Faber*, quem sequitur *Carpzov. part. 2. Const. 37. d. 19. n. 4.* qui pactiōnem hanc eo tantum tibi sine fulcit, quod consuetudine & usu Germanorum sit approbata. Nos in hac dubietate rerum sic statuendum putamus non esse Sociam inventum proprium & primum Germanorum sed magis Italorum seu Romanorum, à quibus successu temporis, postquam Romanorum Imperium cum Germano fuit unitum ad Germanos est translatum. Notanter diximus *successu temporis*, quia non statuimus Germanos à Carolo Magno facta unione coactos fuisse omnes Romanorum leges suscipere. Quemadmodum enim olim Germaniæ Regnum antequam cum Romano in unum coaluit corpus non tantum privata sed & publica sua habuit jura in multis à jure Romano diversa ut habet *Leman. in Chron. Spir. Lib. 5. cap. 4.* ita etiam postquam Romanum suscepit Imperium eadem libertate juris sui usum fuit, subjecit sibi Imperium atque cum eodem ejusdem leges; Ex iis itaque quas in observantiam reduxit eas sequimur merito non primæ locationis, sed approbationis atque nationis respectu. Cum enim

enim circa initium seculi decimi quinti in Ger-
mania conderentur Academiae, illaeque ad ex-
emplum Italicarum sese componerent, accer-
sitis praesertim ex Italia Doctoribus & Profes-
soribus; Et verò in Academiis Italicis jus re-
stauratum Romanum doceretur; idem jus in
scholas Germanicas atque ex scholis in fora
Imperii Germanici sensim receptum est usque
dum expressus Maximiliani & Statuum con-
sensus accedebat & usum legum Romanarum
concedebat tradente *Leman. in Chron. Spir. lib. 4. c.*
21. Cum hisce ergo legibus & contractibus Ro-
manis eodem modo ad nos Germanos sic So-
cida pervenit, cujus antiquitatis in repub. Ro-
manorum facit nobis fidem constitutio *in l. 8.*
C. de pactis. Et sanè saepissimè nobis mirandi
ocasio suborta est, cur ante Taborem nullus
hactenus repertus fuerit, qui negotii hujus fre-
quentissimi neque tam satis expediti naturam
è juris visceribus erutam, peculiari commen-
tario exhibuerit, omnibus alias quotidianorum
thematum gratiam affectantibus. Quam-
quam enim institutum eorum, qui triviales ju-
ris materias in theses collectas identidem sub
disquisitionem singularem revocant, haud
quaquam velimus improbare; attamen ex in-
de

de colligi sanè nequit præsens negotium anti-
quioribus Jctis tempore Jurisprudentiæ me-
diæ fuisse incognitum. Manet ergo verissi-
mum, naturam hujus συναλλάγματι esse an-
tiquissimam, cujus incunabula rescriptum in
d. l. 8. si pascenda C. de pactis. satis insinuat, & sub-
innuit Autorem hujus verisimiliter fuisse Alex-
andrum, qui primum consulatum gessit sub
Heliogabalo, cum quo conjunctus in fastis
reperitur. *Vid. Cuspinianus in Aurel. Casiod. Consules*
pag. 455. Ac cum sub Consulatu Maximi & Æ-
liani, h. e. anno 226. (juxta Cuspiniani compu-
tatū) interfectus esset Heliogabalus, & Alexan-
der Imperium suscepisset, denique anno Im-
perii sui IV. cum Marcello secundum Consu-
latum gessit teste Cuspiniano. Hoc apprimè
etiam confirmat inscriptio legis sequentis d. t.,
hæc enim eandem habebat, cum hac nostra
subscriptionem, idem quoque contestatur in-
scriptio *leg. præc. d. t.* quæ in Codice Charondæ,
Pacii & Gothofredi his expressa est caracte-
ribus

Idem A Mucatraulio

Et hæc de secunda conjecturæ parte. Tertia
conjecturæ pars est, quænam causa nostrum
contractum effecerit; sed quia de hac etiam in

C

præce-

præcedentibus duabus conjecturis aliquid egi-
mus, & amplius de illa infra incidenter acturi
sumus; idcirco hoc loco calamum retrahimus.

SECTIO III.

DE

Mutatione hujus συναλλάγματος.

Restat ultima conjecturæ pars de mutatione
hujus contractus. Vitiat autem & mutat
hunc contractum imprimis usuraria pravitas,
de qua supra sectione i. plus satis est disputatum
eumque singulariter etiam notat *Constitutio*
Wurtembergica Provincialis sub tit. von Wucher-
lichen und anderen verbotlichen Contracten
ibi: Item der einen so ein Kühlein oder Zucht- Stier
hat/darauff 3. oder 4. Gùlden leihet/oder um ein solch
ring Geld abkauffet/so doch das wol halb theils mehr-
werth ist/ und darnach solchen Armen das Kühlein
oder Stier / um einen ungewöhnlichen Küh- Zins//
oder Kinder- Miethe leihen oder stellen/ oder einem
ein gemahlte oder Ställerne Kuh (wie man die nen-
net) oder einen Stoken im Stall an stat einer Kuh
schlagen vor 3. oder 4. Gùlden und Jahrs daraus ei-
nen Küh- Zins zugeben/das auch etwan vor ein Küh-
Zins jährlich ein Kalb zu geben und den armen Mann
andingen / das in seiner Fütterung zu halten/ biß es
ihme Wucher; auch einen Zins oder Kinder- Miethe
ertragen/ oder sonsten seinen ohnziemlichen Wucher

da

damit suchen kan; oder wo das Kalb stirbt / daß der
Hirne nichts desto weniger dasselbe bezahlen / oder mit
einem andern guten Rinde erstattē müsse / mutat er-
go, annullat & annihilat Socidam nostrā con-
ventio usuraria si pensio justam, ut supra dixi-
mus, exsuperat rationem. Si autem quærat
quis, quibus modis hoc possit fieri? responden-
dum erit difficile esse modum constituere in
tanta locorum, temporum, personarum & uti-
litatum varietate; solere tamen Dd. rem ipsam
aliquibus definire regulis tūm communibus
tūm peculiaribus. De communibus egit post
alios *Binsfeld ad cap. navigarii ultimum de usuris.*
quest. 9. quo brevitatis studio lectorem remit-
timus. Speciales vero regulas æstimandas pu-
tamus ex negotii cujuslibet qualitate.

MEMBRI II.

Quid sit res

SECTIO I.

DE

Etymologia, Homonymia & Synonymia.

HOc jam constituto sc. Socidam in rerum
natura revera existere & haudquaquam
iniquam esse, sequitur altera methodi quæstio:

C 2

quid.

quidnam illa sit conventio. Hæc quæ-
stio definitionem nominis & rei complectitur.
Illa rectè hanc præcedit, quia origo verbi benè
imposita, ex eodem fonte, quo definitio rei pro-
fluit; Et nemo res intelligit, nisi prius verba co-
gnoverit, verba enim (ut Plato in Cratylo tradit)
sunt instrumenta quibus res significantur pro-
ut non tantum Jcti sed etiam Philosophi hinc
inde explicarunt. Etymologiam ergo Socidæ
quod concernit, non secus ac ejus origo à variis
variè constituitur; communiter autem ab Ita-
lis dimanasse creditur, quod Itali contractum
hunc ἐξοχικῶς Socidam i. e. Societatem pecu-
dum vocare coeperunt teste Specul. in tit. de loca-
tione §. 3. n. 8. ubi etiam formam præscribit qua con-
fici debeat. Conf. Petrus Dominicus de Musis Nob. Pla-
cent. in formulari instrumentorum verbo: Socida ibi: te-
nere in Socida & Societate usque ad quatuor annos
proxime futuros. Lelius Zechus in tract. de usuris cap.
7. n. 7. ibi: Sed etiam in animalibus quod Italice Socida
dicitur Societas iniri poterit. Adeatur etiam Ves. in
Com. ad l. 8. C. de pactis & Tusch. in Concl. Pr. Lit. S.
Concl. 280. n. 43. Unde facilè colligendum est
quosdam malè duplici CC. hanc vocem expri-
mere: Soccidam pro Socida appellantes, quan-
quam & veterum nonnulli sic, uti videre est ex
Re-

Repertorio Bertachini in Lit. S. verbo: Soccida animalium & ex recentioribus viri non inferioris sub-
belli teste (Carpzov. p. 2. const. 37. d. 19. sic scripse-
runt. Italos Scholasticos Doctores specialius
allegat hujus denominationis authores Argen-
træus ad Art. 263. n. 1. consue. Britan. qui per paro-
nymiam inde etiam fecere Socidanosi. e. com-
mercii istius Socios. Ex quibus autoribus &
illud (quod ad Homonymiam potest referri)
observare licet, Socidam partim Doctores ac-
cipi pro illo negotio, quod per Societatem con-
trahitur, & aliquando cum apposito effertur
Socida animalium ut apud Angel. de Clavas. In
summa Angel. verbo Societas cap. 2. n. 1. partim et-
iam pro omni genere contractus circa anima-
lia celebrati sive per locationem sive per depo-
situm aut aliam formam conventionis consti-
tuatur Musfis d. c. 78. in pr. Quod concernit tan-
dem Synonymiam vulgo Socidam quoque
vocant commendam, cui quodammodo con-
venit Germanica illa appellatio Das Vieh ver-
ställen/austhun in Pacht Vid. Salmasium de
scenore trapezitico p. 516. Qua tamen voce depo-
situm magis quam locatio significatur Anton.
Faber. in Cod. suo de locatione defin. 5. n. 4. Com-
mendare enim alibi pro deponere usurpatum

notat Bart. & ceteri in l. 9. C. depositi l. 24. ff. depositi
l. 186. de V. S.

SECTIO II.

DE

Definitione reali.

HUc usque de definitione nominali: sequitur nunc definitio realis, in cujus determinatione non immerito provocamus ad regulam juris communem, omnem definitionem in jure esse periculosam l. omnis definitio π. de R. J. Schneid. ad §. 4. Inst. de actionibus n. 13. Sanè enim cum negotii tam difformis (ut nostri loquuntur) rotunda vix dari poterit generalior ut constituatur utique necesse erit. Forasan autem cum modi contrahendi tantoperè varient sic describi Socida potest, quod sit contractus innominatus inter Dominum & pastorem de pecoribus initus, ut pro cura & pastura factus eorum portionibus, quibus placuit, dividantur, vel aliud lucrum aut damnum & casus rependantur. Dix. 1. notanter Socidam esse contractum ut excludatur opinio statuentium Socidam esse pactum nudum, hic enim non est pactum nudum sed rei traditione & implemento vestitum, non enim, inquit Papinianus in l. 8. ff. de prescript, verb. videtur nudum

dum pactum intercessisse quotiens certa lege dari probatur s. cum res subest, *Cujacius ad d. l. 8. (2.) Diximus cum additamento: Socidam esse contractum innominatum; ratio, quia non habet suum nomen arg. l. 1. §. 2. ff. de rerum permut. At posset quis revertere, quod nomen habeat sc. Socidæ. Resp hoc nomen esse commune aliis contractibus etiam conveniens, ad exemplum permutationis. Suum verò nomen i. e. proprium habere oportet ut contractus dicatur nominatus l. 7. §. 1. ff. de pact. Merillus VIII. Obs. 35. Hinc ergò negotium nostrum non incidit in contractum nominatum locationis, quia pro opera pascendi nulla merces est constituta, neque enim partus pecorum loco mercedis potest constitutus dici, quia in locatione merx debet esse certa *pr. Inst. locati*. At partus pecorum sunt incerti. Nec (2.) in emtionem, quia pastor non emit ulla pecunia partem foetus §. *pretium tertio Inst. de emt. vend.* Nec (3.) in venditionem quia dominium non transfertur pretio. Nec (4.) etiam Societas contracta est, cum nihil in commune hic pastor ponat, neque de Societate fuerit actum, nec res, h. e. ipsa pecora communicantur, sed tantum foetus eorum certis portionibus dividuntur. At fructuum communicatio non arguit rem principi-*

pa-

palem communicatam esse; *Alexander 2. Consil.*
48. Manet ergo verum, contractum nostrum
esse innominatum, quia ut *Hottomann. tradit*
hæc cōventio incidit in articulum, facio ut des,
Nam ut *ex latere pastoris s. rustici animalia recipien-*
ris negotium geritur, facio ut des; ita *ex Domini*
latere negotium geritur, do ut facias. Foetu-
um enim partem donat pastori ut pecus pascat,
seu suscipit pecora pascenda ut foetuum partem
ferat, & quandoque etiam omne damnum &
calum fortuitum in se recipiat, ut hinc recte na-
scatur postmodum actio præscriptis verbis.
Nec est, cur quis autumet, adhuc rationem du-
bitandi superesse, etiamsi vel maxime conce-
datur negotium hoc in contractum innomi-
natum incidisse; siquidem his contractibus
pœnitentiæ locus sit, ut ut ex una parte imple-
mentum esset factum. Responsio in facili &
expedita est: licet dissentiat *Dn. Carpzov. Jurisp. fo-*
rens. p. 2. const. 33. def. 23. num. 5. Dominus Philipp.
in usu practico lib. 3. Ecclog. 71. n. 9. Schneid. Inst. de
oblig. Rub. de contract. n. 14. Nimirum assertum
hoc commune à plerisque omnibus ita accipi-
tur, ut referatur ad eum qui dedit, cui conditio
competit: non autem ad eum, qui accepit *Ba-*
choz, in not. ad Wesenb. π. de pact. n. 9. Vasquius
lib. 6.

lib. 6. controvers. c. 59. v. 12. § 20. Is enim accipi-
endo ad implementum illius contractus se præ-
cisè obligavit, Mantica, Molina & alii, quos allegat
Fünster. de pœnit. th. 43. Quibus etiam post Dua-
ren. & Donell. Anton. Matthæi Disp. π. 26. th. 15.
hanc adjicit rationem, quod is, qui dat aut
facit, ut sibi detur, aut fiat, non sit obligatus
ei, cui dat aut facit. Non desunt tamen, qui con-
stanter Societatem esse asseverant. Cujacius
enim tenet; Sæpè ita coiri Societatem, ut alter
pecuniam, alter operam tantùm conferat, &
lucrum tamen communicetur §. 2. vers. nam &
ita J. de Societ. l. 1. in fin. C. pro Soc. Si ergo dederis
pecora pascenda, ut foetus sint communes, in-
quit, Societas contrahitur Donellus autem in Com.
ad d. l. 8. C. de pact. cum distinctione & alterna-
tione quadam hoc asserit; esse sc. & Societa-
tem; si nudum consensum respicias: & con-
tractum innominatum facio ut des, si pecorum
consideres traditionem. Opponit autem Cu-
jacius pro stabilienda sua sententia nobis (1) au-
toritatem Juliani in l. 13. §. 1. de P. V. qui Lib. XI.
digestorum suorum ita definiisse fertur: Si pecus pa-
scendum tibi dederò hac lege, ut si post certos,
annos venisset, pretium inter nos communica-
retur: tum Societatem contractam videri, com-

D

pete-

petere igitur pro socio actionem. Ad quod
Resp. à diversis malè fieri illationem. Est au-
tem diversitas horum casuum planè palpabilis:
siquidem *in d. l. 13. §. 1.* agitur de communica-
tione rei principalis, aut (quod idem est) pretiū
ipsius rei distractæ: Hoc autem casu res princi-
palis (grex pecorum) planè in communionem
non venit, sed indivisa manet in dominio prio-
ris domini: & saltem accessio foetuum in divi-
sionem vocatur atque deputatur. Opponit (2)
*l. si merces 25. §. vis major 6. A. Locat. ubi dicitur Co-
lonum partiarium quasi Societatis jure & damnum &
lucrum cum domino fundi partiri.* Sed responsio la-
tet in voce quasi; non enim negatur hoc affini-
tatem habere cum Societate: sed negatur pro-
prie & ratione initi Societas (quemadmodum
etiam disertè post Bartol. scribit A. Faber in rationib.
*decid. ad d. l. 25. §. 6. ibi: nego, agi posse pro So-
cio, cum non sit verè, sed simultudinarie tan-
tum contractus Societatis: revera autè contra-
ctus innominatus, ex quo alia nulla, quàm p. v.
actio nasci potest.* Opponit (3) *l. cum duobus. 52.
§. 2. vers. si in coeunda 2. A. pro Socio.* Ubi definitur,
cum quis pecus in commune pascendum de-
dit, alter verò artem operamve pollicitus sit
quærendis foetibus, Societatem coitam. Resp.
sicut

sicut semper observandum est in contrahendo, quid ab initio inter contrahentes sit gestum, & illud pro cauto habendum *l. 38. ibi: ex eo, quod inter contrahentes actum esset A. mandati. 34. de R. J. l. 3. vers. nam in contrahend.* de rebus creditis. Ita etiam hic videndum, quid ab initio actum sit. Nam si ab initio actum sit, ut alter pecus, alter vice pecoris operam conferret, animo Societatis contrahendæ, jam in nullo dubio relinquitur, quin initio Societas coita sit *l. si. margaritam 44. ibi: si animo contrahendæ Societatis id actum; pro Socio* quia uterque aliquid principaliter in commune contulit, prout & pecus eo ipso commune est effectum. Per ultima denique verba definitionis nostræ inter dominum & pastorem de pecoribus initus &c. Societatis nostræ causa efficiens, subjectum, objectum, forma & finis adumbratur, de quibus omnibus tamen in Sect. seq. pluribus agetur. Sit ergo

MEMBRI III. ET ULTIMI

Qualis res sit.

SECTIO I.

DE

Efficiente causa Societatis.

D 2

Su.

Superioribus partibus nostræ disputationis
factum est de quæstionibus *an sit: item quid sit*
Socida, nunc paucis etiam explicabim9 ultimam
methodi quæstionem, *qualis sit & quamnam ha-*
beat naturam propriam noster contractus. Illam
autem melius non possumus cognoscere,
quam ex notissimis causarum figuris, causa ef-
ficiente nempe, objecto, forma, fine & effectu,
his enim expositis qualis sit Socida & quam-
nam habeat naturam, satis constabit. Et qui-
dem ut de causa efficiente Socidæ primò aga-
mus, est hæc vel remota vel propinqua. Re-
motâ poterit ex *Memb. 1. Sect. 2.* delumi, ex qua
constat vigore *l. 8. C. de pactis* primùm æque
hunc contractum, ut alia negotia civilia, ab
Imperatoribus Romanis esse introductum.
Quod concernit propinquam causam, sunt
personæ contrahentes ut est dominus pecorum
qui subjectum concedens & rustici, villici, &
pastores, qui subjectum recipiens appellantur.
Dominum quod attinet nihil interest, num no-
bilis sit, num ignobilis, nec enim diversum quid
est in cive & rustico, quibus sc. hi contractus
æque sunt liberi licitique, quam nobilibus, mo-
do sint alias jure habiles: Imo hi magis quam
illi à negotiis mercaturam redolentibus aut lu-
cri

cri aucupium præ se ferentibus arcentur l. 3. C. de
commer. & mercat. Cæterum & observandum
circa recipientes quod non semper uni in indi-
viduo animalia tradantur, solent enim ali-
quando etiam tradi Monasterio Ecclesiæve pro
certa annua pensione, quæ pro singulis anima-
libus aut omnibus simul, interim dum vivit sol-
vatur ei, qui illa tradit Vid. Molinam de contract.
Disp. 420. n. 7. Et hæc de causa efficiente.

SECTIO II.

DE

Objecto Socidæ.

POSTquam in causâ efficiente & subjecto hu-
jus contractus satis ostendimus, quinam pe-
cora possint dare in Socidam vel accipere: se-
quitur, ut ejus objectum explicemus: ut ita in-
telligamus, quænam res hujus negotii obje-
ctum adæquatum esse possit. Parum enim
causæ efficientis & subjecti cognitio nobis
prodesset nisi quoque objectum cognitum
haberemus, quænam res hic inter contrahen-
tes dari & accipi queant, quia ex eo non leves
hujus *ουαλλάγµα* & utilitates dependent.
Nam materia contractus sublata simul omnis
ejus tollitur utilitas, & reliquis causis locus esse

D 3

ne-

nequit: quia nisi sit materia, nec causa efficiens
agere, nec ad formam materiae imprimendam
perueniri potest. Sunt ergo objectum huius
negotii pecora eorumque foetus, illa quidem
pascenda, hi vero communicandi. Pecorum
autem seu pecudum appellatione quid intelli-
gendum sit, notum esse puto ex *l. Aquilia*; sc. ve-
niunt intelligendae quadrupedes, quae grega-
tim pascuntur §. 1. *Inst. ad l. Aquil. l. 2. §. 2. eodem*
ab eaque appellatione non quidem iumenta
excluduntur *l. 38. §. 4. ff. de adili. edi.* Sed bestiae
idemque canes §. 13. *Inst. de l. Aquil.* Etsi enim
hi non sint ferae bestiae, tamen non sunt pecu-
des, namque sub custode non gregatim pascun-
tur, ut est notissimum. Continentur autem pe-
corum appellatione nominatim & in specie,
equi, muli, asini, oves, caprae & boves, de suis
olim fuit dubitatum §. 1. *Inst. d. l. Aquil.* forte
ideo, quia non aequè ut ceterae pecudes onera
gestando, lana lacteque usum praebent *vid. Har-
precht. in Com. ad d. l. §. 1. Bachov. ibidem* nec per-
inde ut aliae pecudes gramine & viridibus pa-
bulis commodè aluntur, sed ut Columella scri-
bit, maximè hordeo, faba, & cætero frumento
indigent, uti post *Hottomannum Harp. d. l. ostendit.*
Verum his non obstantibus, quia sues etiam
gre-

gregatim pascuntur suumque subulcum ha-
bent, utilitatemque insignem æque ut alia a-
nimalia per foetum afferunt, obtinuit, præpri-
mis quia rationes præmissæ non adeo sint strin-
gentes, sives quoque pecoribus annumerari. Et
hæc quæ dicta sunt ferme ab omnibus appro-
bantur, præprimis quia certo jure ita definita
sunt. De anseribus tamen, gallinis, columbis, ut
& pavonibus dubium posset moveri: quan-
quam enim de his quoque pacta talia iniri pos-
sint, atque anseres etiam gregatim pasci sole-
ant, eorumque sint peculiare pastores, dicti an-
serarii, tamen appellatione pecudum non con-
tinentur, sed animalium generaliore §. 15. & 16.
*Inst. de Rerum divis. seu avium specialiore l. 66. ff.
de legatis 3.* Cæterum licet doctores in hac mate-
ria pecora etiam distinguant in animalia grossa
seu grossioris generis & minuta uti ex *Colleg. Ar-
gent. Dn. Justi Mayeri videre licet in tit. si quadru-
pes pauperiem fecisse dicatur th. 4.* tamen illam di-
stinctionem hic parum vel nihil curamus.

SECTIO III.

DE

Forma Societatis.

Vidimus in præced. Sectionibus quibus modis
ratio-

ratione objecti & causæ efficientis contractus
Societatis sese habeat, nunc forma Societatis ulterius
explicanda est, ut postquam cognovimus, qui-
bus modis causa efficiens in materiam agat,
tandem etiam intelligamus, quam formam il-
li materiae tribuat & quæ revera hujus contra-
ctus celebrati forma dici possit. Est autem no-
tandum, quod forma hujus conventionis vel
respiciat negotium principale, vel pacta adje-
cta. In principali agitur de dominio aut com-
municando aut non communicando; de prio-
ri casu non agimus principaliter, quia potissi-
mum exinde emergit contractus aliquis no-
minatus. Quod si ergo dominium non com-
municatur dum illud vel dominus sibi retinet
& reservat, vel in pastorem transfert, & hoc ca-
su, ut supra diximus, erit contractus in nomina-
tus, do ut facias, ut ait *Alciatus ad l. 8. C. de pactis*
num. 5. & 10. addita illa ratione, quod in eo pe-
core nullam amplius communionem præten-
dere possit is, qui transtulit, idque etiam de eo
casu intelligit *Vvesenb. in Com. ad l. 8. C. de pactis*
quo dominium sic transfertur, ut tamen pastor
ad certam foetuum & aliorum emolumento-
rum præstationem & finito tempore determi-
nato gregis suppleti redditionem teneatur. Et
licet

licet affinis hic contractus videatur locationi conductio-
ni, ab ea tamen multum differt (1) quod à datione hic con-
tractus initium capiat & per eam demum perficiatur &
obliget (2) quod quodlibet factum, etiam quod locari non
potest vel solet, hoc contractu promittatur *arg. l. 5. §. 2.
vers. quod si tale ff. de pras. verbis.* Quod si igitur pro tali
facto quod locari solet certa initio merces constituta est,
erit locatio conductio: Sin verò vel tale factum non sub-
est, vel certa merces in re fungibili non constituta, sed de-
tur res qualibet ut fiat aliquid, ex illa datione alter obli-
getur, tunc initur contractus do ut facias, ut hic loci fit.
Pacta adjecta quod attinet, concernunt illa vel commoda
vel incommoda & onera. Commoda veluti ut foetus na-
scituri etiam inæqualiter dividantur. Quamquam enim
vulgares seu communes Societatis leges & regulæ in re
dubia vergant ad æquas bonorum communium portio-
nes; tamen expressa conventionem aliud induci posse con-
stat. Onera sunt vel laboris aut curæ, vel impensarum,
vel periculi: posse enim periculum capitalis totum, vel
partem ejus rejici in illum, qui operas & industriam ap-
ponit, certissimum est, modo gravamen hoc sufficienter
compensetur vel concessione majoris partis fructuum,
aut lucri, quam alioquin ipsi esset debita, vel alia qualibet
ratione; Eoque sine etiam communiter traduntur rusti-
co animalia æstimata, ut constat, quantum pro uno quo-
que solvere debeant, si pereant.

SECTIO IV.

Et ultima.

DE

Fine Et effectu Societatis.

E

Sequi-

Sequitur tandem finis & effectus hujus negotii anno-
standus. Finis autem poterit aestimari, tam ex parte do-
mini, quam ex parte rustici & pastoris. Nimirum dominus
pecorum custodiam gregis & fructum respicit, pastor ve-
ro vel rusticus pro labore præmium. Dominus pastorem
pecora sua rectius curaturum iri credit, atq; si mercena-
rio simplici eadem pascenda commisisset; pastor verò u-
beriores foetuum proventus ex hoc pacto se percipere
posse sperat.

Quod effectum concernit, erit ille obligatio & ex-
inde profluens actio. Obligatio iterum vel respicit com-
moda vel onera: utroque casu quod in conventionem
deductum est, venit servandum. Obligatur enim quili-
bet, ut faciat id, de quo convenit, quod probat non solum
Carpzov. Const. 37. d. 19. & Dn. Richter part. 2. Decis. 81. n.
41. sed & multa præjudicia. Sic enim in Scabinatu Jenensi
ad requisitionem Urbani Hiltmanns / Schäffers zu
Rassenburg Mens. Julii Anno 1620. pronunciatum fuit.
Habet ihr des Raths zu Rassenburg Schäfferey auf
drey Jahr um 170. Gilden jährlich Pacht. Geld auf
2. Termin, als Petri Pauli den halben Theil und auf
Michaelis die andre Helffte zu erlegen angenommen/
dergestalt daß ihr für euch un̄ eure Knechte 450. Stuck
halten möget / darneben 150. Eisern Raths Vieh seyn
solle: Ob nun wol binnen solcher Zeit das Kriegswes-
sen Überhand genommen / und die Soldaten nicht al-
lein des Nachts in Hürten / sondern auch des Tages
in Feldern / an der Waide / von der Heerde zum öfftern
mahl euch etliche Schaaf / Hämme / Jähling / und
Lämmer mit Gewalt weggebracht: so ist doch gedach-
ter Rath wegen angeregter 150. Eisern Schaaf = Vie-
he

he den Verlust tragen zu helfen unverbunden Von
R. W. eodem modo Men. Majo Anno 1629. consulenti
Hermanno Schmieden den Märschburgischen Rath
und Secretario zu Blanckenhain responsum fuit. Actio,
quæ ex hoc negotio oritur, est præscriptis verbis seu in fa-
ctum civilis, daturque illi qui dedit rem contra eum, qui
factum promisit, ut illud præstet *l. 5. ff. d. præscr. verbis.*

Quæritur autem quid obtineat, si ob casum non se-
quatur factum? Distinguiamus, aut casus accidit rei, circa
quam factum fieri debuit; aut factum ipsum susceptum
directò casu impeditur; aut personæ quid accidit. Prio-
ribus duobus casibus putarem cessare actionem præscri-
ptis verbis. Conferatur *Struv. in Syntag. J. C. Exerc. XLIX.*
th. 10.


Circa postremum casum distinguimus; vel factum
subest, quod ab herede expediri potest & datur actio con-
tra heredes; vel opera & industria singularis in facto re-
quiritur, & existimarem dari actionem in factum, qua in-
teresse petitur, quod continebit hoc casu vel tantum,
quantum datum, vel minus si jam quid operis factum fu-
erit. Sanè *Wesembecius* in hoc negotio *ad l. 8. C. de pactis*
n. 7. & 8. de genere actionis indagando sic iudicat. Si-
quidem dominus tradiderit pecora pastori, inquit, jam
habet eum obligatum; quia ex sua parte re ipsa implevit
conventionem, nec stetit in meris terminis conventionis.
Neque hic locum habet regula; per quem non stat, is fe-
cisse videtur *c. cum non stat. 66. de R. J. in 6.* Nam ut detur
actio P. V. omninò necessum est, contractum impletum
esse. Quod si, porro, nondum tradidit & pastor recipere
detrectet: non quidem habet actionem P. V. quia ex par-
te sua nondum implevit: Ideoque Judicis officium nobi-
le


le instar actionis, hoc casu poterit implorari *gl. in l. si soror. 8. ad verb. restitui, ubi etiam Jason. num. 3. & 4. C. de collat.* Quod illi non est denegandum: Cum hic civile subsit negotium & usitatum: ac propter pasturæ utilitatem publicam meritò ad placidorum observationem contrahentes à Magistratu cogantur: Etenim ubi verba diriguntur ad Judicem, potest officium judicis implorari, nec verba legis hic rectè intelliguntur, nisi officium implorari permittas: Quod si restringas ad casum impletæ traditionis, jam parum utilitatis lex habebit. *Et hæc Wesenbecius.* Caterum actio antea dicta P. V. tunc competit, si pecora & animalia propria quis dederit, unde si aliena fuerint data, alter non tenetur factum, de quo conveniunt, præstare, sed solum repetere illa animalia potest is qui dedit. Et hæc hac vice de nobilissima illa materia dicta sufficient.

Deo Optimo Maximo sit laus &
gloria in secula sempiterna.

F I N I S.








99 A 6983


ULB Halle 3
002 927 888



Retro ✓ VD17







DEO
ET. MAGNIF. FACTORUM. ORDINE.
ANNUENTIBUS.

SUB. PRÆSIDIO.
BURCHARDI. HENRICI.
TILEMANNI. D. ET. ADVOCATI.
EXCELLENTISSIMI. PATRONI. AC.
PRÆCEPTORIS. MEI. PROLIXO. OBSER-
VANTIÆ. CULTU. JUGITER. SUSPI-
CIENDI.

DE
CONTRACTU
SOCIDÆ.

QUO. VULGO.
Eiserne Schaafse oder Rühse
CONSTITUI. DICUNTUR.
IN. PERILLUSTRI. ATQUE. FLO-
RENTISSIMA. PROPTER. SALAM.
ACADEMIA.
V. NON. OCTOBR. H. L. Q. CONSVETIS.
PUBLICÆ. DISPUTABO.

BERNHARDUS JACOBUS Wiese/
AUTOR ET RESP.

JENÆ, Typis NISIANIS, A. S. R. clc lcc LXXIII.

